

monitionis propter iuramentum subsequutum, ex allegatis per *Gutierrez. de Juram. confirmatorio p. 1. cap. 56. num. 12.*, & Jurando censetur remittere onus interpellandi *Covar. lib. 3. Variar. cap. 17. num. 4.*, quia Iuramentum probat scientiam ejus, quod Juravit, *Rota coram Aldobrandino inter novissimas decis. 218. p. 1.*, post quam lecturam & Iuramentum per eos præstitum, non fuerunt habitæ, in hac Civitate, vel Diocesi, generales ordinationes, tot numero, quot erant necessariae, ut ordinem suæ præbendæ, adnexum, possent suscipere; erant enim ambo Initiati, tantummodo prima tonsura, & respectu Archidiaconi, post ejus ingressum, habitæ sunt quidem, tres Ordinationes, sed prima habita fuit post duos dies, ab ejus ingressu, cumque necessè esset, ex decreto Pontificio, præmittere exercitia spiritualia, per decem dies ante, aperte constat, legitimè fuisse impeditum, si in ea ordinatione, ad ordines suscipiendos, non accesserit; ad alias duas ordinationes accedere, re vera neglexit; attamen per eas non poterat pervenire ad Diaconatum, cū in prima, minores ordines tantum, in secunda, Subdiaconatum sibi jure fuisset, permissum suscipere; statutum enim debet interpretari secundū Jus Commune, *Cerro decis. 639. num. 10.*, *Mascard. de interpret. statut. concl. 2. per totum Concil., autem Trid. sess. 23. cap. xi.*, & *cap. 13.*, concedit tantum, conferi minores Ordines, una ordinatione, singulos autem ordines sacros, singulis, & distinctis ordinationibus, sequitur patenter, quod non suscepit Ordinem diaconatus, non ex sua culpabili negligentia, sed ex defectu ordinationis; similiter, & eo magis dicebatur de proviso in decanatu, qui debet promoveri ad sacerdotium, requisitum suæ præbendæ, quia à die sui ingressus in Capitulum, lecturæ, & Juramenti observantiæ statutorum, duæ tantū sint habitæ generales ordinationes, in quarum prima minores ordines, in secunda subdiaconatum, potuisset recipere, nec habitæ sunt tertia, & quarta, necessariae ad obtinendum diaconatum, & sacerdotiū, quare constat, non recepisse ordinem sacerdotii, ex defectu generalium ordinationum non habitatum, ac consequenter constare de Justo impedimento.

23 Quod videbatur facere difficultatem, erat,

quod in habitis ordinationibus, non fecerūt, quod erat in se, idest non curarunt promoveri ad ordines minores, & subdiaconatum, undè culpabiliter, se posuerunt in statu, quo in tertia, & quarta respectivè, immediate subsequutura ordinatione, non possunt pertingere ad susceptionem ordinis requisiti, & idè videbatur, declarandum incurrisse culpabilem negligentiam, propter quā privandi essent, concessa medietate distributionum; eo modo quo, qui assumpsit onus ædificandi domum, taxato anni termino, si diutius moretur, ut deveniat ad ultimos dies, in quorum termino, nequeat ædificium construere, & perficere tenebitur, ad pœnam conventionalem, vel ad damna, & interesse, ad *tex. in l. si insulam 84. ff. de Verb. oblig.*, Ubi *Alexander nu. 3.*, *Bartol. nu. 3.*, ubi *nu. 1.*, & *2.*, quod nam dicatur modicum tempus, & insufficientis, relinquatur arbitrio prudentis, habita consideratione ad qualitatem, & quantitatem operis, quod in nostro casu videtur verificari, quatenus in una, vel altera ordinatione, non possunt suscipere quatuor minores, subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium respectivè, & concordat *tex. in l. stipulationes non dividuntur §. planè, l. Continuus, §. item si Insulam ff. de verb. oblig.*, ac propterea, videntur hodie privandi medietate prædicta distributionum, nec ultra expectandum, quia frustra expectatur eventus, qui non potest aliquid operari, ad *tex. in l. aliquando ff. ad Veleian.*, & videntur facere dicta per *Garziam de benef. p. 11. cap. 5. num. 119.*

24 Nec ei succurrendum, qui culpabiliter in necessitate se posuit, & ad impossibile se coarctavit *l. 2. §. quod dicimus ff. si quis caution. cap. cum in veteri ad finem, de elect.*

25 Verùm, adhuc est locus excusationi, quia adhuc habent remedium, ut valeant promoveri, in prima, & altera, respectivè, ordinationibus generalibus, vel per dispensationem Pontificiam, suscipiendi ordines, extra tempora, & non servatis interstitiis, vel per termini prorogationem reportatam à Papa; quod remedium possibile sufficit, ut hodiè non valeant condemnari, & puniri de negligentia, eo modo quo, Provisus de Parochiali, qui debet infra annum suscipere sacrum Præbiteratus ordinem, *cap. licet Canon. de elect. in 6.*, alias ipso jure pri-

re privationis pœnam incurrit, nec tamen eam incurrit, ante ultimam anni diem cōpletam, etiam si per paucos dies, ante dicatur adductus ad statum impossibilitatis, idest ut nequeat ordines suscipere, ita ut, usque ad ultimum diem, possit Parochiale beneficium resignare: *Barbosa ad dictum cap. licet Canon. num. 8.*, & *in c. commissa. n. 2. 3. de elect.*, *Paris de resignat. benefic. lib. 3. quest. 2. num. 10. 14.*, quia adhuc potest impetrare Prorogationem termini.

26 Et dato, sed non concesso, quod hodiè posset dici incurra culpa negligentiae, tamen actio non est nata, nisi post lapsum ultimæ requisitæ ordinationis *ad tex. in l. 1. §. dies autem in fine ff. quando dies ususfruct. leg. ced.*, *Cancer. lib. 2. cap. 7. num. 41. Vers. quando tempus*, *Antonell. de tempore leg. lib. 4. cap. 5. sub. num. 1.*

27 Per solam ergo possibilitatem remedii, suspenditur actio ad pœnam, quia data Pontificis prorogatione, non incurritur, *Barbosa in c. Commissa num. 5. de elect.*, *Sanchez. ad decal. lib. 4. cap. 22. num. 25.*, ubi solvit difficultatem, quid operetur, pœnam esse ipso jure incurram, ante lapsum, termini, si non potest exigi, nisi post annum, seu lapsum termini; & respondit *ex Paulo de Casiro.*, *Alberico*, & *Jasone in l. cum stipulatus sim. ff. de Verbo oblig.*, operari effectum retroactionis, quia retrahitur ad diem incurrae, culpabilis negligentiae, privatio concessæ medietatis distributionum: *Jo. Baptista Costa tract. de retroact. cap. x. effect. 1. num. 6.*, *Barbosa de Clausulis, claus. 61.*, *Rebuff. praxi benef. tit. de non promotis infra annum num. 43.*, & *44.*, ubi quod sit vera ista opinio, & communis.

28 Ex quibus omnibus licet colligere, quod ad effectum privandi prædictos D.D. Archidiaconum, & Decanum, de illa dimidia distributionum, omnino requiratur sententia declaratoria, sicuti requiritur ad privandum Parochum, non promotum ad sacerdotium, infra annum, quia debet certò constare, utrum cesset omne justum impedimentum, & omnis justa excusatio, & exceptio: *Barbosa de Parochis p. 1. cap. 5. sub. num. 1.*, *Azor. Instit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 8. quest. 2.*, *Garzias de benefic. p. 3. cap. 4. num. 3.*, & *num. 52. cum seqq.*

29 Usque modo, dicta procedunt in terminis præfati Statuti Capitularis, quod fo-

lum examinabatur in Capitulo, ad dignoscendum, utrum esset locus executioni statuarii ejusdem decreti; nam in terminis *Concilii Trid. sess. 22. cap. 4. de reform.*, & *Clement. Ut in de etate, & qualit.*, & *ord. præfic.*, diversimodè est sentiendum, & consequenter Episcopus, qui judicabit secundum terminos Concilii, & Clem., poterit declarare incurram pœnam, culpabilis negligentiae, ex quo elapsus sit annus, à die pacificæ possessionis beneficii, nec infra annum, ordinem suæ præbendæ requisitum susceperunt, & non solum exequendo pœnam privationis medietatis distributionum sed servato ordine, & solemnitate Concilii, poterit etiam privare, primò fructuū medietate; secundo integris fructibus; tertio etiam privare beneficio, si negligentes persistant; concedunt enim Concilium, & Clem., quod etiam Ordinarius imponat alias pœnas, præter ibi expressas, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, vel statutis: *Garzias de benef. p. 3. cap. 4. n. 16.*, & *in adit. ejusd. c. 4. ad num. 22.*, *Barbosa de Canonicis cap. 16. num. 20.*

Et ut notavimus supra, Concilium, & Clem. non se restringunt, ut statutum, ad generales ordinationes habitas in Civitate, vel Diocesi, sed absolutè loquuntur; Undè tenetur provisos de Canonicatu, procurare etiam alibi, cum dimissoriis sui Ordinarii, ab alio Episcopo, promoveri ad ordines, alias negligentiae culpam incurrit.

30 Negligens pariter Canonicus residere in sua Ecclesia, ultra tempus concessum à *Trid. sess. 24. c. 12. de reform.*, primò anno, privatur media parte fructuum, & si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente verò contumacia, contra eosdem negligentes, juxta sacrorum canonum, Constitutiones procedatur, idest ad privationem ejusdemmet Canonicatus, & Præbendæ.

31 Damnabilis est negligentia Canonicorum in interessendo Capitulo congregato, ad negotia, potissimum graviora Capituli, vel Ecclesiae; ita ut si Canonicus fuerit legitimè vocatus, & negligat ad Capitulum venire, peccet, & si noverit gravia esse tractanda, periculumque timeri prudenter possit, quod iniusta, vel inutilia, vel damnabilia disponantur in Capitulo, & tamen

negligat interesse, cum posset voto suo monere, consulere, & à mala electione, forsan remove, cæteros, tunc mortaliter peccet: *Grass. decis. aureis p. 1. lib. 2. cap. 127. num. 17.*, sicuti, & in tali casu, renuntiantes voci suæ, vel alteri committentes, quem novit consensurum in malum; quia tunc censetur consentire, saltem negativè, peccat graviter: *Sigismund. à Bononia de elect. dub. 14. à num. 2.*, & *seqq.*, idèd *Barbosa de Canonic. cap. 37. à num. 30.*, & *seqq.*, post *Genuens. loco ibi citato*, dicit, non solum peccare, sed posse compelli ad dandam vocem per se ipsum, si id expediat notabiliter; gravitas autem istius culpabilis negligentia, in eo consistit, quia est contra bonum commune, & contra juramentum, quod solent emittere Canonici, in assumptione ad Canonicatum, quod scilicet non tacebunt ea, quæ viderint communi utilitati, & Ecclesiæ suæ expedire; habemus autem in *c. 9. Statutorum nostri Capituli Ferrariae*, hæc verba (*sciat tamen hic recusator, & ille, qui cum possit ad Capitulum venire, & liberum ferre suffragium, & nihilominus venire neglexerit, se peccavisse*), utrum autem venialiter, vel mortaliter, ex gravitate materiæ, vel damni, & incommodi, est metiendum; idèd in eodem nostro *Statutorum volumine c. 3.*, forma juramenti adstringit, ad non negligenda ea, quæ ad decus, honorem, & commodum concernunt, non solum respectu Ecclesiæ, sed & capituli; hinc dixi in practico casu, quod Canonicus monitus, & negligens, sine legitima excusatione, interesse Capitulo, propter quod non potuit Capitulum validè consulere negotiis, ad quæ convocabatur, ex defectu numeri Canoniorum, ad validitatem necessarij, peccasse, & juramentum violasse, quia redundat in incommodum Ecclesiæ, & Capituli, etiam si non ex inde damnum, aliquod sequeretur: Excusationes autem plures extendit *Barbosa de Canonicis*, omninò videndus *c. 40.*, & *Fermosin. tract. de Capitulo Sede vacante, & sede plena, tract. 3. quæst. 5. num. 38.*, & *quæst. 7. num. 11. 12. 13.*, *Garzias de Beneficiis p. 3. c. 2. à num. 524.*, ubi proponit articulum, & pluribus *seqq.*, ubi latius resolutivè excusationes discutit, & examinat maximè *num. 37.*, & *seqq.*

33 Hinc, & alia notabilis, sequitur negligenti-

tia eorum Canoniorum, qui congregati in Capitulo, dum de rebus gravioribus tractatur, aut omninò tacent, aut verbis ambiguis, obscurisque loquuntur, aut truncato sermone, & incompleto, non explicant, quod sentiunt in veritate, vel quia non audent auctoritati aliquorum contraire, vel quia eorum interest, vel quia amico, favere cupiant, & tunc de eo, quod sequitur, in Dei Judicio pœnam dabunt: *arg. ex l. 1. §. Magistrum autem ff. de exercitatoria actione ibi (cæterum si scit, & passus est eum in nave magisterio fungi, ipse eum imposuisse videtur)* ubi *glos. post Azonem in verbo posuisse*, notat, quod in casu patientia, pro consensu habetur, *ad tex. in l. semper ff. de reg. Jur.*, facit *tex. in l. sepe 63. §. cur autem ff. de re judic.*, & *Rotæ coram Seraphin. decis. 708. num. 4.*, pro regula habuit, quod Canonici ad actum gerendum convocati, qui non contradicunt, consentire videntur, ad allegata *per Innoc. in c. 1. num. 4. de iis, quæ sunt à majori parte Capituli, & ibi Abbas num. 13.*, *Felin. in c. non ne de Prescriptionibus*, taciturnitas autem habetur, pro consensu, quoties quis tenetur loqui, & potest dissentire, & tamen tacet, ut ex pluribus *Barbosa in reg. qui tacet nu. 15. de reg. jur. in 6.*

34 Excusatio forsan communis afferri potest in medium, scilicet Canonicum tacere, ne majorum, & potentiorum, odium suscipiat, cum nemo teneatur, cum tanto incommodo contradicere; vel quia videt, contradicendo, se inutiliter agere, ad inutile autem, non est obligatio, *l. 2. in fine ff. si quis in Jus vocatus, Tusch. in V. Frustratoria concl. 520.*, ubi autem contradicendo, non potest actum impedire, neque tacendo censetur consentire: *l. Caius ff. de pignor. act.*, & latius *Barbosa tract. de axiomat. Jur. axiom. 217. num. 17.*, immò censetur prudentia, tacere.

35 Huic excusationi occurrit *D. Augustinus*, relatus in *c. quisquis metu xi. q. 3.*, per hæc verba (*Quisquis metu cuiuslibet potestatis, veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, quam Deum; uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.*)

36 Addas, quod Canonicis, primò in Capitulo admissis, præstatur juramentum de non

non tacendo, id quod iuribus Capituli, & Ecclesiæ utilitati, noverint expedire; cuius juramenti vis ordinatur ad hoc, ut tollatur omnis excusatio tacendi.

37 Tum quia votum Canoniorum, non est tantum consultivum, sed & decisivum; undè singuli Canonici se habent tamquam Judices; Judex autem tenetur suam proferre sententiam, quando cunctis dispositis expectatur, aliàs negligens, partes lædit, & peccat, quod notavit *Turre crem. in d. c. Quisquis nu. 2.*, & insinuat *Joa. Chrysostom. relatus in c. Nolite temere xi. q. 3. (ibi sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronuntiare oportet, aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere convenit)* Canonicus autem tacens, non defendit veritatem, quam defendere tenetur, & convenit.

38 Neque actum inutile facit aperiendo votum suum liberè, licet non acceptetur à majori parte; nam utilitas stat in hoc potissimum, quod exonerat conscientiam suam, & quod aliorum conscientiam accusat; deindè nunquam potest esse certus, quod ejus votum, aliorum Canoniorum, non immutet sententiam; nam pluries *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, & casus est in *Daniele c. 13.*, ubi omnes Judices, & populus Hebræorum, consenserant in mortem Susanae innocentis, at Daniel, cæteris junior, exclamavit voce magna, & dixit, *Mundus ego sum à sanguine hujus*, cujus voce, & Judices, & Populus, moti in novum examen, descenderunt, ac Susana innocens liberata est; vide ergo, quam utilis fuit loquutio Junioris Danielis, & quam damnosa fuisset taciturnitas ejusdem.

39 Nec inferas divino hoc factum iudicio, & auxilio; fateor, sed eundem influxum poterit præstare, voto cuiuslibet Canonici, liberè veritatem, seu consilium suum aperiendi; non enim abbreviata est manus Domini ad unum Danielem; quodque tanto magis sperandum, cum initio capitularis, congregationis, semper influxus, invocetur, Spiritus Sancti.

40 Neque timendum est, quod suscepturus sit odium potentiorum, si votum, ea qua decet modestia, & reverentia proferat, & si adhuc odium suscipiat, gratias agat Deo, quod pro veritate, & justitia dignus habitus sit aliquid pati; beati enim, qui per-

sequitionem patiuntur propter justitiam, pronuntiavit Christus, *Mathei c. 5.*

41 Potest contingere in Canonico, negligentia tanta, ut deponi mereatur, & degradari, ut est *tex. in c. dictum dist. 81.*, sicuti excommunicari potest, pro sua negligentia, *c. Placuit xi. q. 3.*, negligentia autem tanta quæ sit, quæ hac pœna, punianda sit, exemplificat *Turre crem. in d. c. Dictum n. 1.* nempe, si Canonicus contempserit facere, quod sibi à suo Prælato, fuerit injunctum ratione officii sui, quod confirmant, scripta *per Barbosam de Canonicis c. 5.*, ubi *de Archidiacono num. 50.*

42 Nec debent Canonici, hoc negligentia crimine contemnere, quasi leve, nam de se solent alta sapere, quasi Prælati in Clero, dum faciunt unum corpus cum Episcopo, vel dum jurisdictionem Episcopalem exercent, Episcopatu vacante; nam debent etiam, & benè sapere de se, & considerare, quod majorum negligentia, inferiorum vertitur, in exemplum, & parit scandalum; sicque Canoniorum negligentia, Clericos inferiores trahit in culpam, de qua, & ipsi reddent rationem, ut scripsit *Sanctus Pontifex Leo Epist. 3.*, relatus in *c. inferiorum culpæ distinc. 86.*

43 Negligentia Canoniorum, in interessendo divinis officiis in Choro, suam propriam habet pœnam, scilicet non lucrantur distributiones, quæ solum dantur interessentibus, & tamquam merces laboris, *c. de cætero de Clericis non residentibus*, hinc non laboranti, neque merces, neque alimenta debentur, sicuti de negligentia in communi, inter effectus universales negligentia enumeravimus, etiam paupertatem, & necessariorum deficientiam.

44 Negligentia possunt notari, sicuti & cæteri beneficiati, in professione fidei, quam faciendam infra duos menses à die adeptæ pacificæ possessionis, decrevit, *Trid. sess. 24. c. 12. de reform.*, alioquin negligentes eam, infra id tempus facere, fructus non faciunt suos, *Barbosa infra num. 33.*, non restituendos, tamen nisi post sententiam; nec illis possessio suffragatur, quo ad hos fructus, quam non solum coram Episcopo, sed etiam coram Capitulo facere, eodem pariter modo, teneantur; de qua negligentia tractant plures allegati, *per Barbosam add. c. 12. Trid. sub num. 14.*, formam autem, professionis fidei

- dei emittendæ tradidit, *Pius 4. in eius consit. incipit. Injunctum. sub idibus Novembris 1564.*, & quia spatium duorum mensium, non incipit currere, nisi à die captæ pacificæ possessionis, ad tradita *per Ricciul. tract. de Jure personarum extra Eccles. gremium existentium lib. 1. c. 13. num. 63.*, aliàs id tempus non currit, neque Canonicus in hoc, negligentia pœnam incurrit, quamvis per eum stet, quominus possessionem adipiscatur, ad tradita *per Garziam de beneficiis. p. 3. c. 3. num. 32.*, *Ricciul. d. c. 13. num. 50.* *Barbosa de potest. Episc. alleg. 60. num. 25.*, & *de Canonicis c. 17. num. 17.*, & *d. c. 12. Trid. num. 22.*, ubi post præallegatos, & alios, notat, terminum duorum mensium, non esse positum ad finiendam obligationem, cum etiam post elapsum terminum, Canonicus provifus, teneatur professionem fidei emittere, sed esse taxatum ad pœnam remittendam.
- 45 Limita etiam in Coadiutore, qui durante coadiutoria, non tenetur professionem fidei emittere, ex allegatis *per Barbosam de Canonicis c. 17. num. 12.*
- 46 Cum autem possit, hæc solemnis fidei professio fieri per procuratorem, ut bene probat rationibus, & auctoritatibus, *Ricciul. d. c. 13. à num. 21.*, & *seqq.*, *Barbosa ad Trid. d. c. 12. num. 29.*, *Mascobr. prax. habend. Synod. c. 4. dub. 40.*, dubitari potest, utrum negligentia procuratoris differentis facere professionem fidei, ultra tempus constitutum, noceat Canonico constituti, ita ut incurrat pœnam negligentia, sicque non faciat fructus suos.
- 47 Nocere, dicerent omnes, qui negant posse hanc fidei professionem fieri per procuratorem, *Gonzal. ad reg. 8. cancel. §. 7. proemiali num. 169.* *Vers. similiter, Garzias de Benef. p. 3. c. 3. num. 75.*, *Gratian. discip. forens. c. 166. nu. 22.* alique relati *per Mascobrium de Synodo c. 4. dub. 40.*, similiter ad id videntur omninò facere, quæ diximus *art. de Negligentia Procuratoris*, ubi constituiamus regulam, quod Procurator in omitendo facere, quod sibi mandatum fuerat, præjudicat mandanti, quia debet sibi imputare, mandans, si negligentem Procuratorem ellegit, quæ adeò fortia visa sunt, *Ricciullo tract. de Jure perf. extra Eccl. gremiū lib. 1. c. 13. sub n. 28. in fine*, ut rem alteri dimittat decidendam, dicendo, tu cogita.

- 48 Contrariam tamen sententiam, *Azorii inst. moral. lib. 7. tom. 2. c. 2. q. 6.*, ad quod allegat Sanchez, (qui in meo codice, id non dicit,) videtur ipse Ricciul probare, dum eam dicit æquiorē, & affert rationem solutivam fundamenti prioris sententia, distinguendo, scilicet de mandato faciendi, id quod in animo principaliter consistit, ut sunt contractus, aliaque similia, ad quorum validitatem requiritur factum externum, nam voluntas, seu animus vendendi, non est venditio; sic ad mandatum faciendi id, quod in solo animo perficitur; solum autem externus actus requiritur, ad majorem manifestationem; tunc negligentia Procuratoris, non deberet præjudicare, quando mandans speciali mandato, suum animum manifestasset, quod videtur habere locum in nostro casu; dum enim provifus de Canonicatu, dat mandatum speciale ad profitendam fidem catholicam, explicat sufficienter animum suum, circa talem fidei professionem, quod eam profiteatur, & velit servare; quare etiam, si Procurator sit negligens, tamen mandans satisfecisse videtur decreto, de emittenda fidei professione, cujus decreti finis est, ut provifus de Canonicatu, veram fidē teneat, & profiteatur, etiam externè servet, alioque eandem servare, doceat sine errore, & hanc sententiam sequutus est tamquam æquiorē, & veriorem, *Mascobr. de Synodo c. 4. dub. 40. num. 47.*, quæ omnia confirmanda sunt per ea, quæ diximus de negligentia Procuratorum, maximè in fallentiis.
- 49 Nec omittendum est, quod notat *Barbosa d. c. 17. de Canonicis, & dignitat. nu. 20.*, quod negligentia in facienda fidei professione, importat culpam mortalem, quod colligit, ex gravitate verborum *Trid. loco citato*, & ex gravitate pœnæ impositæ hujusmodi negligentibus, dummodo omiffio, non sit per ignorantiam, vel impotentiam, quia tunc non esset negligens, ex dictis, de negligentia in communi.
- 50 Notabilis, & punibilis esset negligentia Canonicorum, consistens in non associando Episcopum accedentem ad Ecclesiam cum cappa, ut celebret, vel divinis interfit, & ab ea recedentem, quia ista associatio, non est urbanitatis officium, sed onus ex Justitia debitum, ut ex ceremoniale

- niale Episcoporum, & ex pluribus declarationibus Sacrae Congregationis, latè comprobatur, *Barbosa d. tract. de Canonicis c. 32. per totum*, ubi ad quem terminum se extendat associatio, si palatium Episcopi distet ab Ecclesia (ibi vide).
- 51 Tenentur omnes Sacerdotes, diligentius Sacrae Scripturae intelligentiam pervestigare, & scientiarum studio, operam dare; multo magis Canonici, quorum scientia, ceterorum tenebræ eliminandæ sunt, alioquin negligentes scientia rerum Sacrarum, & Canonum, dare operam, debent timere, sibi, illud *Osee c. 4. dixit Deus Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*, negligentes enim scientiam, indigni sunt, qui Sacerdotio fungantur, ex quo *Trid. sess. 24. c. 12. de reform. hortatur*, ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatum, in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis insignibus conferantur, tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia, vel Jure canonico.
- 52 De negligentia Canonici Coadiutoris, pluries facta est occasio differendi, in hac nostra Cathedrali Ferrariae, tum ob indemnitate Coadiuti, tum ob servitium Ecclesiae, neglectum; contingit enim, non semel, quod Coadiutor Canonici, in longinquas regiones se absentaret, & per plures menses, ultra quam concessum sit à Concilio, vel Statuto, absens detineretur, unde de remedio fuit cogitatum.
- 53 Et quia casus in duplici circumstantia, contigit. Primum, quod Coadiutor sit pauper, nec fideiussorem prestiterit, unde de distributionibus non acquisitis, non erat remedium, quo Coadiutus posset ab amissione distributionum relevari, & in hoc casu intrat declaratio Sacrae Congregationis Eminentiſſimorum S. R. E. Cardin. Sacri Concilii interpretum, in una, Avenionis Coadiutoria, emanata, sub die 12. Maii 1674., cujus copiam Illustrissimus D. Altovifus Secretarius in authentica forma dedit, tenoris videlicet (*Sacra Congregatio censuit, Coadiutorem esse monendum sub pœna privationis, juxta cap. ex tua de Clericis non resid. & ita Sanctissimus approbavit*), quæ declaratio militat attentis circumstantiis paupertatis, & carentia fideiussoris, quia aliud non dare-

tur remedium, non obstantibus notatis *per Barbosam ad Trid. sess. 25. c. 7. de reform. n. 11. in fine*, ad quam privationem, requiritur trina monitio, quoties non exequatur personaliter, etiam post tertiam, expectandus est lapsus sex mensium, *ad tex. in c. ex tua, & ibi Barbosa de Cleric. non resid.*; Alter casus fuit in Coadiutore nobili, de ordine Equestri divite, & qui fideiussorem præstiterat, de supplendis distributionibus, ex propriis, si ex sua negligentia, vel in totum, vel in partem, non fuisset Coadiutor lucratus, & in hoc casu videbatur nullum aliud remedium inquirendum, ex quo ex forma, & litteris Coadiutoria, ad aliud non legebatur obligatus, quam ad rescindendum ex propriis, quidquid propter suam negligentiam amiserit Coadiutus, qui cum habeat actionem in bonis Coadiutoris, quæ dum re verà, satis superque, sufficientia extant, vel etiam contra fideiussorem, videbatur nihil amplius requirendum, dum Coadiutor, non tenetur ad rescindendam præcisam, sed causativam, id est, ut de bonis suis satisfaciatur pro interessentia, non facta ad tradita *per Barbosam ad Trid. sess. 25. c. 7. de reform. n. 14.*, aliosque ibi per eum allegatos; & de Canonicis, & dignitat. c. 29. num. 15., *Moneta de distrib. p. 2. q. 1. nu. 26.* & certò, si casum consideremus respectu interesse Coadiuti, ita dicendum est; at quia etiam debet considerari respectu Ecclesiae, in cujus favorem datur Coadiutor ad ei inserviendum, ne debitis fraudetur obsequiis, Coadiuto infirmo, aut sene, qui alioquin non valet inservire Ecclesiae, certum erit, quod Coadiutor tenetur residere, & Ecclesiae inservire, & ad hoc cogi potest, ut consideravit, *Rota in Tirasonem Coadiutoria 14. Januarii 1611.*, quæ est decis. 276. p. 1. recent.; etiam sub pœna privationis, *ibid. num. 4.* Juris tamen forma servata, de qua *in c. ex tua de Clericis non resid. Gratian. discip. for. c. 805. num. 31.*, & *seqq.*, & iterum, *Rota decis. 392. p. 3. recent.*, idè non præcisè, in gratiam Coadiuti, sed ob necessitatem Ecclesiae, datur Coadiutor. *Puteus decis. 226. num. 13.*, *Moneta de option. c. 4. num. 151.*, ex quo Coadiutus ægotans, vel Senectute gravatus, non potest inservire Ecclesiae, *ad cap. 1. de Clerico ægotante in 6. Trid. sess. 25. c. 7. de reformatione, Burat. decis. 78. nu. 1.*, & 2.